



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Praxis Meditandi A S. P. Ignatio Societatis Iesv Fundatore traditæ Explicatio**

**Le Gaudier, Antoine**

**Dilingæ, 1627**

Cap. VIII. Præparatio propinqua vesperi vel mane facienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50280](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50280)

filo contextæ totius diei & vitæ religioſæ actiones, quid aliud ſunt quàm oratio continua, vel ad orationem præparatio? *Quidquid, inquit Nilus cap. 18. durum & aſperum toleraueris patienter, fructum laboris tempore orationis reperies. Quare non mirum eſt ſi cum vitæ quotidianæ curſus non ita vt decet peragitur, nec oratio ſuccedat, nec vllus in eius perfectione progreſſus fiat. Rectè enim Caſſianus Coll. 9. cap. 2. quidquid ante orationis horam anima noſtra conceperit, necesse eſt ut orantibus nobis per ingreſſionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.*

## CAPVT VIII.

*Præparatio propinqua vespere  
vel mane facienda.*

**P**Ræparatio propinqua ea eſt, qua  
vtra-

utraque causa orationis mentalis,  
 Deus nimirum & homo, proximè di-  
 sponitur, & veluti completur in actu  
 primo, ut in effectum influat. Qua-  
 re consistit in ijs actibus, quibus om-  
 nes hominis facultates, memoria,  
 intellectus, volūtas, imaginatio, cor-  
 pus ipsum in id opus aptatur, & Deus  
 etiam ipse excitatur, ut gratiæ suæ in-  
 fluxū adiungat. Hæc verò præpara-  
 tio tēpore immediatè ipsam oratio-  
 nem præcedēte inchoanda est: vnde  
 si matutinis horis faciēda est oratio,  
 pridie vesperi dispositio hæc adhibē-  
 da est, quæ tamē optimè proxima di-  
 citur, quia orationē morali quadā ra-  
 tione proximè antecedit, utpote in-  
 ter quas solus somnus intercedit, qui  
 nō impedit quo minus vespertinum  
 & matutinum tempus maximā inter  
 se, quod ad animi actiones attinet,  
 cognationem habeat: Idcirco ve-  
 speris incipiat hæc propinqua præpa-  
 ratio necesse est. Itaque tunc tempo-

ris materia præparanda est, & in sua  
capita distinguenda. Qua in re  
hoc imprimis spectandum, vt ma-  
teria solida sit, nec nimis angusta  
ac ieiuna, vt superius monuimus.  
Deinde, vt ea ipsa materia, si opus  
sit, in duo triue puncta pro eius  
amplitudine distribuatur; ita ta-  
men vt singula puncta solidam ali-  
quam fidei veritatem contineant,  
possitq; quodlibet eorum esse certū  
ac solidum practicarum conclusio-  
num & affectuum principium. Vbi  
verò id materiæ amplitudo non per-  
mittit, satius est, vt indicat S. P. Igna-  
tius, totam meditationis materiam  
vnicò puncto concludere. Hæc  
porrò materiæ præparatio fit lectio-  
ne, siue punctorum iam prius ab ali-  
quo authore distributorum, siue E-  
uangelici textus, & breuis super eum  
commentarij. *Sine lectione*, inquit  
Bernardus *de scala claustr.* *erronea est  
meditatio*; *erroneam* vocat; id est,  
erro-

erroribus, distractionibus, & illusionibus obnoxiam, prout experiuntur qui nulla sibi certa proposita materia ad meditandum accedunt: *Lectio enim, ut habet idem ibidem, quasi fundamentum occurrit primo. Et data materia movet nos ad meditationem.*

Ita præparatâ materiâ sequitur deinde ut memoria ad suum exercitium disponatur, qua ex re tanquam ex principio & capite, ut constabit ex ijs quæ paulò post dicenda sunt, existimandum est præcipuam vim animæ in meditationis opus incumbens pendere. Quare operæ pretium est declarare quid hæc memoriæ præparatio contineat. Vbi igitur disposita ad meditandum materia est, expedit circa unumquodque punctum prævidere quid ad perfectam eius intelligentiam bene comprehendendam mente agitare oporteat. Atque ut res exemplo aliquo & paradigmate fiat

te fiat notior, sit mihi propositum exempli gratia de Beatæ Virginis purificatione, & Christi Domini oblatione meditari; nõ mihi satis ad eam memoriz preparationem erit ita puncta distinxisse, vt primum sit. (*Detulerunt puerum in Ierusalem, vt presentarent eum Deo tanquam primogenitum, offerentes pro eo consuetum munus parviturum, aut duos pullos colubarum. Secundum, Simeon veniens eadem hora in templum, eum accepit in vlnas, & benedixit, & dixit, Nunc dimittis, &c. Tertium, Anna superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel.*) Non erit, inquã, satis ita distinxisse puncta, sed circa singula præuidenda sunt ea quæ ad sensum cuiusq; percipiendum iuuare poterunt. Quamobrem ita me præparabo, vt circa primum punctum, (idem verò de alijs quoque intelligendum est) statuam eius sensum intimè

intimè

intimè penetrare, & varios inde discursus, affectusque elicere, singula percurrere & attendere, hæc aut similia apud me proponens. Cras mihi consideranda erunt personæ, quæ in meditatione occurrunt, nempe B. Virgo & Ioseph, Christus, Deus, & Sacerdotes. Deinde actio & oblatio B. Virginis, Iosephi, & Christi; item acceptatio Dei; item eorum verba, quæ vel dicta sunt, vel dici potuerunt, expendenda. Deniq; internæ actiones intellectus, & volûntatis omnium personarum: sic enim optimè præparabitur memoria vt postridie rem totam & efficaciter representet. Nec verò multum temporis requirit hæc preparatio; nam non est necesse personarum qualitates expendere, aut intimum verborum sensum rimari, sed satis est si duataxat determinaris in particulari, quænam persona, quæ verba, quæ actiones erunt consideranda, & quasi à longè prospexeris  
 quinam

50 DE ORATIONE

quinam affectus ex ea meditatione excitari possint, quod ex aliqua illius mysterij lectione fieri commodissime potest.

Tertio præparanda est voluntas excitato desiderio, eoque duplici; generali videlicet seruiendi Deo, toto die consequenti: particulari verò futuræ meditationis tempus fructuose impediendi, & præuisos iam tum affectus, eos præsertim qui utiliores esse possunt, excitandi. Hoc autem desiderium fructus est diei feruenter in pijs operibus transactæ, vel examinis cōscientiæ bene institui: hoc est *verbum quod dies diei eructat*, Ps. 18. hic est, *ignis quem Dominus venit in terram mittere*, Luc. 12. & in nostris cordibus semper ardere cupit, qui ne frigore nocturno victus extinguatur, ijs imprimis fouendus est precibus, quas sibi quisque id temporis deuotioni suæ accommodatas elegit, vt ijs fundendis dum vestes exuit, seq. ad quies-

quies-



quiescendum componit, Deo se iungat, eò ardentius, quò magis eo potissimum tempore desides animi languere solent. Deinde tegi illum oportebit cinere compunctionis, qua fragilis naturæ vicem doleas & ingemiscas, quod huic corporis seruituti & imbecillitati sis ita obnoxius, vt tertiam vitæ partem velut exanimis, & in somno quasi in sepulchro conditus degas, sine Dei memoria, sine fructu, sine sensu. Deniq; præuisa meditationis in suos diuisæ articulos materia, & memoriæ in somnum inclinanti obiecta, lignorum vt strues erit, in eum finem cõposita, vt cum primùm die postero somnus abscesserit, inspirante cælitus diuinæ benignitatis aura, nullo negotio Dei amoris ignem concipiat. Quis non beatos dixerit quotquot eo sibi comparato igne dormiūt, quibus si quando de nocte euigilent, concepta illa ante somnum Deo famulãdi cupido  
ad pectus

ad pectus aduolabit, & in animo bene disposito ingens diuini amoris incendium confestim excitabit? Cùm verò surgendi tempus aduenerit hoc eodem desiderio ocyus & longè efficacius quàm campanæ signo, vel eo cui hæc prouincia demandata est excitante, excusso corporis animique languore è lecto erumpent, collectisque viribus animi sanctissima Trinitate, Beata Virgine, Sanctisq; de more, pro cuiusq; deuotione, salutatis, solita precationum iacula in cœlum frequenter ac strenuè dirigent, eò nimirum totâ incumbentes animâ, vt se quàm diligentissimè parent in lucem & conspectum diuinæ maiestatis prodituri, eius voluntatis percipiendæ auidi, ac in ea toto die officijs omnibus exsequenda indefessam operam, studiûmque destinantes, vt quemadmodum in eum finem corpori nocturnam quietem indulserât, vt Deo seruire possent; ita nullam di-  
urna-

urna-

urnarum occupationum partem à diuino obsequio vacuam esse velint. Interim peruoluenda sunt ac primoribus veluti degustanda labris quæ ante somnum tractanda in oratione parata fuerant, tresq; animæ potentia perlibatis vesperi delicijs ad orationem quasi ad suauissimum conuiuium excitandæ.

Et verò hoc vnum tanquam summam & caput omnium, velim perfectionis studiosus intelligat, persuadeatq; sibi hæc omnia animanda esse illo bonorum omnium operum viuificante spiritu, amore videlicet diuino, Dei gloriæ & voluntatis eius, omnibus in rebus quam diligentissimè procurandæ cupidissimo: hoc enim se Propheta ad meditandum excitatum esse dicit, *Quomodo dilexi legere tuam Domine? tota die meditatio mea est Ps. 118.* Et iterum: *Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi.* Et sane sine serio hoc & ardenti desiderio  
quam

## 54 DE ORATIONE

quam maximè placendi Deo, eique se tradendi, languebit sine dubio vespertina ad orationem præparatio, turbabitur nocturna quies, & devotio matutina; ipsaque tota meditatio frigescet. Hoc enim desiderium vinculum quoddam est quo tota vita nostra, actiones, & orationes, continua veluti serie connectuntur, ut dum mutuam sibi operam præstant, & ab eo desiderio tota orationis vis pendeat, & oratio desiderium magis incendat. Hoc, inquit Augustinus epist. ad Probam viduam; quod ait Apostolus, sine intermissione orate, quid est aliud quàm beatam vitam, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc à Domino desideremus & oremus semper, sed ideo ab alijs curis atq; negotijs, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocemus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus

RAMUS

*ramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur. Est ergo hoc desiderium, vt sentit Sāctus Pater meditationis scopus, & incentiuum; tantūmq; in eo momenti ponit, vt continuum desiderium continuam dicat esse orationē, quā etiam vult per certa horarū & temporum interualla nos repetere, vt nos ipsos admoneamus quantum in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad agendum nos ipsos acrius excitemus.*

---

## CAPVT IX.

*De præsentia Dei & reuerentia eius summa Maiestati debita.*

**I**AM sic comparata anima dum tēpus expectat orandi, dimissis aut potius prohibitis & exclusis alijs omnibus curis & cogitationibus, interna